

quam ipsa possit facere in ipsis rebus ante operationem intellectus incidit in opiniones Scoti, vel Durandi aut Gilberti, nec potest se ab illis expedire, ut jam dicimus.

XXII. Secundum ergo quod addimus est, istam sententiam, cum conetur inducere per hanc novam distinctionem virtualem aliquid, quod ante operationem intellectus operetur verificationem duplicis contradictoriæ, cum sufficienti distinctione, et vult fugere sententiam Scoti, Durandi, et Gilberti de distinctione actuali a parte rei, et ex alia parte amplius vult dicere, quam distinctionem rationis cum fundamento in re, quæ est virtualis distinctio Thomistarum, plane inexplicabilem se reddere, et tandem aut nihil nisi voces dicit, aut in unum ex istis extremis, quæ vult evitare, recidere. Nam cum inquirimus, quid est virtualis distinctio in Deo ante operationem intellectus, dicunt, non esse aliud, quam Deum secundum se, et ante operationem intellectus æquivalere pluribus, et distinctis, ita quod illa virtualis distinctio sit quoddam perinde valere plurium, et ipsum Deum, plurium ac distinctorum gerere munus. Bene. Hoc ipsum non negant Thomistæ. Neque eminentia hæc divina, quod simplicissima existens pluribus, et infinitis perfectionibus æquivalet ab aliquo negari potest. Sed premimus ulterius. In hac eminentia remanetne unica, et indivisibilis ratio, seu entitas ante operationem intellectus, super quam cadat illa affirmatio, et negatio, an aliquid est actu distinctum a parte rei, super quod tamquam super extrema ante opus intellectus distincta, cadit affirmatio, et negatio? Si a parte rei est aliquid actu distinctum tamquam extrema aliquam distinctionem habentia ante opus intellectus, super quæ cadat illa affirmatio, et nega-

tio, jam non est sola distinctio virtualis, sed actualis ante operationem intellectus, et illa actualis distinctio vel debet esse formalis, sicut est apud Scotum, vel modalis ut apud Durandum, vel realis ut apud Gilbertum, nec alio modo. Quod si dicant a parte rei nullam esse actualem distinctionem, nec actu esse plura, sed virtualiter plura et actu unum, insto semper, quid sit illud virtualiter plura, ultra hoc quod est esse fundamentum distinctionis rationis. Nihil enim invenietur in illa pluralitate virtuali, quod ante operationem intellectus extrahat illam entitatem ab unitate, reducat in aliquam distinctionem in actu: ergo præter id quod est unum in re, et fundamentum distinctionis rationis, quæ consistit in eo quod illa eminentia æquivalet pluribus, nihil amplius invenitur, quod illa voce virtualis distinctionis significetur. Si autem a parte rei, et ante operationem intellectus non invenitur nisi unica, et indivisibilis ratio in actu, nec rumpitur illa unitas in aliquam distinctionem actualem, sed totum manet in fundamento, et in radice quousque veniat conceptus rationis distinguens: ergo hæc sententia relinquit intactas omnes difficultates hujus mysterii, et illam verificationem duplicis contradictoriæ, nec majorem lucem affert ad hoc solvendum, quam distinctio virtualis, et rationis ratio cinatæ, quam ponunt Thomistæ; si quidem tota difficultas, quæ movit Gilbertum, Durandum, et Scotum ad ponendum distinctionem ex natura rei ante operationem intellectus, est quia in re non possunt duo contradictoria verificari de eadem re omnino indivisibili, et una; et propterea conati sunt in illa entitate una aliquid distinctionis inducere ante operationem intellectus, ut assignarentur aliqua extrema actu

ante illam operationem, super quæ caderet illa affirmatio, et negatio; sed totum quod ista sententia ponit ante operationem intellectus est ratio omnino una, et illa virtualitas distinctionis non extrahit a tali unitate, nec reducit ad distinctionem actu ante operationem intellectus illam virtualitatem: ergo easdem patitur difficultates de verificatione contradictoriarum respectu unius, et ejusdem extremi non plurificari actu. Dicere autem quod illud unum extremum in re, est virtualiter duo non actu, hoc non est explicare sensum, sed multiplicare verba: inquirimus enim an ly virtualiter duo, ponat in re duo actu, an solum relinquat unum actu, quod tamen per rationem potest esse multiplex: nam si actu non relinquit nisi unum, quid obstat hoc verificationi duarum contradictoriarum, quæ non fit nisi in uno extremo, non in pluribus a parte rei?

Quare nos distinctionem virtualem, quæ non est aliud quam distinctio rationis cum fundamento a parte rei, admittimus, quæ est sententia Thomistarum; distinctionem autem virtualem mediam inter distinctionem istam rationis, quæ ratione sui fundamenti virtualis dicitur, et distinctionem actualem ante opus intellectus, sive formalem, sive realem, intelligimus, nec video quid explicet in his difficultatibus nisi pura verba.

XXIII. Ad fundamentum insinuatam oppositæ sententiæ dicimus Deum, et beatos visione sua intuitiva videre id ipsum quod a parte rei datur in Deo, et eo modo quo datur, non eo modo quo nos concipimus, qui imperfecta cognitione ducimur. Videt ergo Deus paternitatem ut relative oppositam Filio, seu relationem illam secundum rationem ad, non communicari Filio, essentiam vero, et attri-

buta, et omnem perfectionem absolutam communicare sine ulla distinctione inter essentiam, et paternitatem, et cum distinctione inter paternitatem, et filiationem. Nec ex hoc format distinctionem rationis inter essentiam, et paternitatem, quia non tangit illa pluribus conceptibus, nec ad instar eorum quæ in nobis distincta sunt, sed ut sunt unum in se, quia etiam secundum hanc sententiam quam impugnamus, essentia, et paternitas in re, et actu unum sunt. Videt ergo Deus essentiam suam ita esse infinitam, et eminentem entitatem quod exercet oppositionem, et respectum sub ratione relativi, et ut paternitas est respectu filiationis, et non exercet respectu ipsius essentiæ, ut absoluta est; et sic videt communicari, et non communicari id quod est unica, et eadem entitas divina secundum diversas considerationes, distinguibiles quidem actu secundum nostros conceptus, in se vero non actu distinctas, sed solum fundamentaliter, seu virtualiter, eo quod non communicari non convenit ei absolute, et secundum totum, quod identice est in re, sed solum sub præcisione, videlicet ut relative opponitur: alias enim si negatio sic proferatur: Quidquid est essentia divina, sive formaliter, sive identice non communicatur, falsum est: Deus ergo videt id quod communicatur absolute, et non communicatur prout relative, non facere distinctionem in re, sed eminentiam esse unius rei includentis multas illas præcisiones.

ARTICULUS II.

An relationes sint de conceptu essentiæ, et e converso?

I. In relatione reali duo includuntur, seu duplici formalitate aut

consideratione explicantur; et per ordinem ad subjectum, quod dicitur in relationis, eo quod relationes quæ sunt accidentia, inhærent subjecto, illudque afficiunt. Unde omne quod relationi convenit ex parte subjecti, sive cui inhæret, sive in quo subsistit, vocatur in relationis; et secundo consideratur relatio realis per ordinem ad terminum, et sub hac consideratione appellatur ad. Et in relationibus realibus, quæ a parte rei inveniuntur, relatio secundum utramque formalitatem realis est, et realitatem dicit, non solum relationes divinæ, quæ realissimæ, et substantiales sunt, sed etiam creatæ. Et quidem p. Suarez lib. v de Trinitate, docet disputari apud Thomistas, an relationes divinæ sint reales secundum esse ad, in quantum ad, non solum secundum esse in, quod in eis est esse subsistens. Quia Cajetanus, inquit, in hoc articulo primo, q. xxviii, existimat secundum esse ad, illas relationes non esse aliquid reale; et idem attribuit Capreolo in 1, dist. xxxiii. Sed Cajetanus non loquitur de relationibus divinis, imo neque de realibus relationibus secundum ad, ut tale, puta reale (verba ejus sunt) sed quantum est ex ratione ad, secundum se. Et mens Cajetani et Thomistarum in hac parte est, quod relatio realis secundum utrumque conceptum, seu formalitatem in et ad, realis et vera est, non ficta, sed illam realitatem non explicat in conceptu ad, per ordinem ad terminum, licet ibi illam retineat, et habeat: nam in ordine ad terminum solum explicat contra quid sit, non quid sit ille respectus, realitas autem proprie pertinet ad id quod est, non ad id contra quod est. Unde prout explicat ad formaliter erga terminum, non explicat realitatem quam habet, licet ibi eam habeat, sed istius realitatis oppositionem. Illa

tamen oppositio per realem, et veram formam exercetur, quæ est relatio, etiam ut ad terminum, quia per hoc quod sit ad terminum non amittit, nec exiit realitatem, nec exercet aliquid quod realitate exerceri non possit. Nec D. Thomas dixit in præsentis articulo primo, quod solum in prædicamento relationis invenitur aliquid secundum rationem, ut Suarez citat pro sententia Thomistarum: sed non sic se habent verba D. Thomæ sed solum dicit: « Solum in his quæ dicuntur ad aliquid inveniuntur aliqua secundum rationem tantum, et non secundum rem, quod non contingit in aliis generibus, etc. » Ubi licet videatur S. Thomas relationem contraponere aliis generibus, et sic loqui de prædicamento relationis, tamen non otiose D. Thomas abstinet a nomine prædicamenti, et solum dicit in his quæ dicuntur ad aliquid, abstrahens a relatione, quæ est in prædicamento, et solum de ipso conceptu relationis loquens, quæ aliquando invenitur secundum esse reale, et in prædicamento, aliquando non, sed extra prædicamentum, et secundum rationem, quod non contingit in aliis generibus, cujus formalis conceptus non nisi in reali prædicamento invenitur.

Nec est necesse ad realitatem istius respectus ad, multiplicare ipsum in, ita quod aliud sit in commune, et generale omni relationi, vel in divinis omni Personæ, quale est ipsamet essentia divina, cui omnes identificantur in conceptu absoluto; aliud vero sit in ipsius respectus, in eo quod ad, et in eo in quo disconvenit, et opponitur una relatio alteri. Hoc non est necesse; tum quia illud in, quo redditur reale ipsum ad, est transcendens realitas, et est conceptus in quo conveniunt omnes relationes: ergo non

est necesse quod multiplicetur in eadem relatione, sed unum sit, quia una forma est ipsa relatio, et ipsum ad, quæ per in existit; tum quia existentia non multiplicatur in relationibus, ut infra dicetur: ergo neque in, licet multiplicentur realitates: quod totum magis explicabitur articulo tertio sequenti.

II. Cum ergo conceptus relationis utramque formalitatem in et ad, realiter includat, et relatio divina loco in, quod in nostris relationibus est inhærens, habeat esse divinum subsistens, et identificatum cum ipsa essentia, quia essentia divinæ hoc ipso quod est actus purus, nihil potest realiter advenire tamquam distinctum a se, restat controversia præsens, an relationes non solum secundum conceptum in, qui est conceptus earum ut subsistentes sunt, sed etiam secundum conceptum ad, quo respiciunt terminum, non solum realiter identificentur cum essentia, sed etiam in suo formali conceptu, et in ratione essentiali ingrediantur. Nam relationes identificari realiter, et modaliter cum essentia divina, constat ex supra dictis contra Gilbertum, et Durandum, quia non distinguuntur ab illa: ergo identificantur cum illa. Unde in Concilio Lateranensi in c. Damnamus dicitur quod: « Pater, et Filius, et Spiritus sanctus sunt omnino idem, et una substantia. » Nunc ulterius procedimus, et inquirimus an hæc relatio, quæ non distinguitur, sed est idem et unum cum illa substantia divina, ingrediatur etiam in conceptum formalem, et essentialem talis substantiæ, et rursus ipsa substantia divina ingrediatur essentialem, et formalem conceptum ipsius relationis: licet hoc secundum facilius intelligatur, quia essentia divina se habet ut quid intrinsecum, et quasi commune omnibus, quæ in Deo

sunt, sive attributis, sive relationibus, sicut animal est de intrinseco conceptu hominis, et aliarum specierum. Primum vero difficilius se habet, quod relationes sint de conceptu ipsius essentiæ, cum potius illam præsupponant secundum suum formalem conceptum, sicut attributa et proprietates supponunt naturam, et sicut terminus subsistentiæ supponit substantiam, sicut species hominis supponit genus animalis, non constituit, nec in ejus formalem conceptum ingreditur.

III. Propter hoc divisi sunt auctores, præsertim moderni in hac parte.

Quidam utrumque negant, scilicet nec essentiam esse de conceptu formali, et essentiali relationum, neque relationes de conceptu, et essentiali ratione essentiæ, sed habere se sicut diversas lineas attributorum, et rationum, quæ in Deo sunt, et unum non est de conceptu formali alterius, licet realiter identificentur, sicut justitia non est de conceptu sapientiæ, vel e contra, nec voluntas de conceptu intellectus. Ita docet p. Vasquez hic disp. cxxi, c. ii et iv, quem sequitur Alarcon tract. v de Trinitate, disp. ii, c. xi et xiii, citatque Becanum, Turrianum, Gillium, et alios. Alii tenent essentiam quidem esse de conceptu formali relationum, sed relationes non esse de conceptu essentiæ. Pro hac secunda parte præter Vasquez, et alios citatos, stat etiam Suarez lib. iv de Trinitate, c. v; Arrubal disp. ci, c. iii; Granados tract. iii, disp. iv, sect. iii, et alii. Pro prima vero parte, scilicet quod essentia sit de conceptu relationum stat idem Suarez, Arrubal, Granados, Canariensis, Bellarminus, et alii quos citat, et sequitur Ruiz hic disput. xiii, quæst. i et sequentibus. Eos etiam citat Alarcon ubi supra, c. xiii.

Tandem alii dicunt tam essentiam esse de conceptu relationum, quam relationes de conceptu essentiali. Pro qua sententia citat Suarez ubi supra aliquos modernos expositores D. Thomæ. Et revera communis est Thomistarum, doceturque a Cajetano hic qu. xxvii, art. ii, circa iii; a Bagnez qu. xxviii, art. ii, dub. iii, circa sextum argumentum; Navarrete tomo iii, contr. xviii, estque omnium aliorum qui tenent non posse videri in Deo essentiam sine Personis, quia pertinent Personæ ad essentiam divinatis. Ferrariensis tamen ii contra gentil. c. ix, ponit distinctionem inter attributa, et relationes, quod attributa docet esse de conceptu deitatis, si secundum se concipiatur, quia perfectionem important, relationes autem non sunt de ratione deitatis, etiam si secundum se concipiatur, quia perfectionem in suo conceptu non important.

IV. Pro hujus tamen resolutione advertendum est, divinam essentiam dupliciter posse concipi. Uno modo conceptu quasi transcendentali, prout præcise dicit rationem entis increati, et actus puri, qui transcendentalis dicitur, non quia est communis Deo, et creaturis, sed solum omnibus perfectionibus divinis, et omni rei divinæ sicut ens creatum transcendentaliter se habet ad substantiam, et accidens, et ad omnes perfectiones creatas, quia in omnibus imbibitur non solum ratio entis, ut sic, sed ratio entis creati; sic ratio entis increati intime imbibitur in omni perfectione, et attributo quod divinum est, et in omni eo quod intra Deum est sive sit natura, sive attributum, sive Persona, sive operatio. Alio modo sumitur divina essentia pro conceptu specifico, et proprio, prout significat rationem divinæ naturæ sub eo conceptu, et linea, qua distinguitur a

conceptu, et linea attributorum, quæ se habent per modum proprietatis, et a conceptu Personarum, seu relationum, quæ se habent ut termini subsistentes; et sic attributa, et Personæ ex suo proprio conceptu supponunt naturam in linea, et conceptu naturæ. Et hanc distinctionem alii aliter ponunt, dicentes quod aliud est Personas, et attributa esse de essentia divinitatis, seu essentialiter ad eam pertinere, aliud Personas esse de conceptu divinitatis, utique de conceptu proprio, et specifico, qui est conceptus divinitatis ut naturæ.

V. Secundo, est advertendum quod aliter transcendentaliter creatum imbibitur intime in omnibus ad quos transcendit, aliter divinum: transcendentaliter enim creatum ingreditur conceptus formales superiorum inferiorum, non ut pertinentium ad suam perfectionem, et constitutionem, quia ille conceptus transcendentalis est analogus, et communis, nec in illa sua abstractione, et analogia constituitur per analogata, nec connectitur cum illis, sed inferiora connexionem essentialiter habent ad ipsum. Cæterum divina entitas non est transcendentalis ad omnes perfectiones divinas, tamquam quid analogum, et commune, sed ut entitas omnino singularis, et individua, seu hæc. Unde non potest ad omnes illas perfectiones transcendere, easque in se imbibere, nisi quia ad suam essentiam singularem pertinent, et ei essentialiter conveniunt, alias non apparet quomodo res singularis in eis imbibatur transcendentaliter, nisi etiam essentialiter, id est, propter aliquam essentialiter connexionem cum talibus perfectionibus, sicut res transcendentalis universalis non imbibitur in inferioribus, nisi propter essentialiter connexionem, quam res inferiores ha-

bent cum illo superiori, ita quando transcendentaliter est quid singulare, non imbibitur in his, in quibus transcendit, nisi ad invicem sit reciproca connexio essentialis, quatenus hoc singulare petit ex sua intrinseca, et essentiali ratione omnes illas perfectiones. Et hoc ideo est in Deo, quia essentia sua est actus purus ex suo proprio, et essentiali conceptu, unde ex vi talis conceptus nullam habet potentialitatem, nec ad aliquam perfectionem, et actualitatem est in potentia: ergo omnem perfectionem ex vi essentialis conceptus habet in actu, si quidem nulla caret; et sic essentialiter connectitur cum omni eo quod sibi potest convenire, alioquin si essentialiter non connecteretur, et tamen posset illi convenire, ex vi essentialis conceptus, careret illo, et esset in potentia ad illud. Sic ergo si actui puro convenit aliquod attributum, vel Persona, seu relatio, et ex vi, et ratione actus puri in suo essentiali conceptu non connectitur cum illis: ergo ex vi essentialis conceptus est in potentia ad illa, et caret illis, si quidem ex vi essentialis conceptus non habent actu illa, et tamen potest habere ut sibi identificata, sed non ex vi connexionis.

VI. His suppositis duabus conclusionibus respondeo.

Prima est: Si divinitas seu divina essentia sumatur in vi conceptus naturæ, secundum quod ly natura dicit conceptum specificum, et proprium condistinctum a proprietatibus, operationibus, et personalitatibus, sic neque attributa, neque relationes sunt de conceptu formali naturæ divinæ, neque e converso conceptus naturæ est de formali conceptu relationum, et attributorum.

Secunda conclusio: Si essentia divina sumatur in vi conceptus en-

tis increati, ut sic, seu actus puri, qui est conceptus transcendentalis ad omne quod in Deo est, et increatum esse habet, sic non solum divina essentia est de conceptu essentiali Personarum, et relationum, atque attributorum, sed etiam attributa, et relationes sunt de essentiali ratione, et connexionione cum ipsa essentia divina, aliter tamen, et aliter: nam essentia est de conceptu relationum tamquam intrinsecum constitutum, seu tamquam entitas, relationes autem sunt de conceptu, seu de essentiali ratione essentiali divinæ, tamquam modi, seu termini ipsius essentiali divinæ, non ut constitutum, nec quælibet relatio est adæquate intrinseca, et essentialis divinæ essentiali, sed inadæquate, tota autem collectio relationum adæquate.

VII. Per istas duas conclusiones conciliantur varia loca D. Thomæ in hac parte, quæ videntur contraria, et aperitur mens ejus. Ad quam penetrandam præ oculis habendum est, distingui in doctrina D. Thomæ esse aliquid, seu prædicari essentialiter de Deo, aut includi in ejus substantia ex parte modi significandi, vel ex parte rei significatæ. Ex parte modi significandi non omnia quæ sunt in Deo, et sunt ipsa substantia Dei, significantur per modum substantiæ, et essentiali, sed ut modus aut proprietas essentiali. Ex parte autem rei significatæ quidquid est Deus, essentialiter est Deus, et si ipsi Deo convenit aliquod prædicatum, v. g. quod sit Pater, aut Filius, quod sit justus, aut sapiens, essentialiter illi convenit, et de eo prædicatur. Sumitur hæc doctrina ex ipso D. Thoma qu. viii de potentia, art. ii ad iv, ubi inquit quod: «Relationes divinæ licet significant id quod est divina essentia, non tamen per modum essentiali, quia non

per modum inexistentis, sed se habentis ad aliud. » Et ad quintum inquit quod : « Licet relatio sit substantia divina, non tamen significat per modum substantiæ; et ideo non dicuntur secundum substantiam, quia dici secundum substantiam pertinet ad modum significandi. » Et idem docet in hac quæstione XXVIII, art. II ad primum.

VIII. Juxta hadistinctio ergo onctionem et eam quam ponimus in his duabus conclusionibus intelligi potest mens S. Thomæ. Nam loquendo de relationibus, et attributis, et essentia ex parte rei significatæ, et secundum quod essentia sumitur pro entitate divina, quasi modo transcendentali, semper docet relationes essentialiter convenire essentiæ, et e converso, facereque prædicationem per se. Nam infra qu. XXXIX, art. VI ad II, affirmat quod : « Sicut ista propositio est per se: Pater est Deus, ita et ista : Deus est Pater, et nullo modo per accidens. » Et hoc collegit D. Thomas ex eo quod cum dicitur Deus, vel essentia divina est Pater, est prædicationem per identitatem, non sicut inferioris de superiore. Ubi sanctus doctor prædicationem illam per identitatem etiam essentialiter esse docuit, seu per se, non autem est per se in quarto modo, neque in secundo, sed in primo. Non in quarto modo per se, quia quartus modus per se est perseitas operationis, non prædicationis: in istis autem propositionibus nulla significatur operatio. Non per se in secundo modo, quia ista perseitas est proprietatis, quæ comparatur ad subjectum accidentaliter, seu ut accidens, licet necessario illi connexum, in illa autem propositione: Essentia divina est Pater, ly Pater non comparatur ut accidens ad subjectum, nec ut attributum, et proprietatis, sed ut Persona: non ergo est connexio, et perseitas

in secundo modo, et sic solum debet esse in primo, qui est connexionis essentialis. Unde et D. Thomas dicit quod ita est per se, sicut ista: Pater est Deus, ubi ly Deus non prædicatur ut proprietatis Patris, sed ut natura; et sic non est in secundo modo per se; nec paternitas est proprietatis naturæ, sed subsistentia. Unde si prædicatur per se ratione identitatis, non in secundo modo ut proprietatis, sed ut essentialiter conveniens in primo modo per se prædicatur.

IX. Deinde ipse D. Thomas supra qu. XXVII, art. II ad III, docet quod: « In ipsa perfectione divini esse continetur Verbum, et principium Verbi, sicut quæcumque ad ejus perfectionem pertinent sicut supra dictum est. » Ubi loquitur de continentia in esse divino, quatenus esse divinum imbibitur in omni quod divinum est: sic enim modo quasi transcendentali se habet. Et in hac quæstione, art. II dicit, quod: « Relatio realiter existens in Deo habet esse essentiæ divinæ, idem omnino existens. » Aliis autem locis quæ postea in solutione argumentorum subjiciemus, docet non includi proprietates, seu relationes in conceptu essentiæ, vel quia ex modo significandi non includuntur, vel quia sumitur conceptus essentiæ pro conceptu proprio, et formali specifico essentiæ ut natura est, condistinguiturque formaliter a conceptu attributorum, et relationum.

X. Favent etiam locutiones sanctorum patrum, licet non minus adducantur pro una parte, quam pro alia. Quia aliquando patres attendentes ad nostrum modum intelligendi, qui proprietates, seu attributa quasi accidentia seu accidentia ad Dei substantiam intelligimus, et relationes ut ad aliud, non ad se ut substantiam expli-

camus, dicunt substantialiter ista non nominari, seu substantiam non explicare. Nam, ut recte admonuit Cyrillus, lib. XI thesauri: « Non omnia quæ in Deo sunt, et de Deo dicuntur, substantiam significant. Reliquum est igitur, ut voce, modoque dicendi accidentia esse dicamus, quoniam modo accidentium ea intelligimus. Sapienter quidem dicitur nihil accidere substantiæ Dei, quoniam in seipsa perfecta est: nostro autem proprio modo intelligimus, et loquimur, ex his quæ in nobis sunt, quasi per exempla, majora, id est, divina intelligentes. » Ubi plane Cyrillus mentem nobis sanctorum aperuit, quam D. Thomas scholasticis terminis postea delineavit, scilicet ex modo nostro significandi, non ut substantiam, seu essentiam Dei ea significari; ex parte autem rei significatæ esse ipsam substantiam Dei, nec essentialiter, et intrinsece posse aliud esse quam Deus, nec Deus aliud quam ipsa. Optima sunt verba Bernardi serm. LXXX in Cantica, ubi loquens contra Gilbertum: « Recedant, inquit, novelli, non dialectici, sed hæretici, qui magnitudinem qua magnus est Deus, et item bonitatem qua bonus, sed et sapientiam qua sapiens, et justitiam qua justus est, postremo divinitatem qua Deus est, Deum non esse impiissime disputant. Sed si Deus non est, quid est? » Et infra: « Absit ut assentiat catholica Ecclesia, esse videlicet substantiam, vel aliquam omnino rem qua Deus sit, et quæ non sit Deus. » Sed Deus paternitate est Pater: ergo paternitas Deus est. Dicunt: Paternitas Deus est realiter, non essentialiter. Urgeo consequentiam Bernardi: Si essentialiter Deus non est, quid essentialiter est? Nam essentialiter aliquid est: et illud aliquid si Deus non est essentialiter, nihil essentialiter est. Unde tandem

Augustinus lib. VII de Trinitate, cap. VI: « Cum dicimus, inquit, Personam Patris, non aliud dicimus quam substantiam Patris. » Si non aliud dicimus, ergo essentialiter substantia illa est.

XI. Similiter pro alia parte, scilicet quod ipse Deus, seu essentia divina essentialiter, et intrinsece sit relatio, seu Persona, sunt optima verba S. Athanasii oratione contra gregales Sabellii: « Universa plenitudo, et integritas deitatis est Pater, et Filius: » quasi dicat ex plenitudine ipsius deitatis prout actus purus, et omnia imbibit quæ Dei sunt, esse Patrem, et Filium, quatenus amborum una forma est, ut ipse Athanasius inquit. Et Cyrillus in libro secundo thesauri, c. I: « Non potest, inquit, perfecta esse deitas, nisi Filium habeat, et fructum ex se proferat. » Quod si collective Pater, et Filius, et Spiritus sanctus pertinent ad plenitudinem, et integritatem deitatis: ergo et ad essentialem conceptum, quia integritas, et plenitudo essentialis divinitati est. Quod si ad plenitudinem pertinet tota collectio Personarum: ergo et quælibet divisiva: nam quælibet Persona tantum ponderat, quantum tota collectio. Unde dixit Concilium Toletanum II, in confessione fidei: « Singulariter unaquæque Persona est plenus Deus. » Sine qualibet ergo Persona Deus non est plenus Deus, ergo si essentialiter Deus est plenus, essentialiter Deus est Persona. Nec potest dici quod divina essentia metaphysice considerata, intelligitur respectu Personarum, ut species respectu individuorum, individua autem non sunt de conceptu speciei: nam contra est, quod species non habet pro plenitudine, et integritate suæ essentiæ individua, deitas autem habet pro plenitudine, et integritate deitatis ipsas Personas,